



PRÆFATIO.

Quamvis Pulsatilla nigricans nullum
huc usque locum inter herbas officina-
les obtineat, eam tamen ad illas jure merito
pertinere, experimenta, in hoc libello re-
censita, evincunt.

His enim comprobatur: Pulsatillum ni-
griantem esse remedium maxime innocuum,
eamque tuto posse ægrotantibus exhiberi
& prodesse plurimum in morbis pertina-
cissimis.

Utinam primævi medicinæ parentes, & primi rei Herbariæ Scriptores tot plantis nomen veneni non imposuissent! Nam inde contigit, ut omnes fere medici, ad nostra usque sæcula, harum usum sollicite evitaverint, & partem medicinæ maxime necessariam neglexerint, relinquenterque incultam.

Venena terrent ægros & inscios, cur autem medicos terreant, ignoro.

Ego profecto! mihi persuasum habeo, in prudentis medici manu nullum dari venenum; Etenim is, ratione & experientia edocitus, debet novisse methodum, qua parentur, dosimque, qua exhibeantur medicamenta efficacia; debet præterea novisse morbum, in quo recte convenient & conferunt, & symptomata, quæ similia remedia exposcent; debet etiam novisse tempus & stadium morbi, in quo indicantur.

His

His cognitis medicus certo errare nunquam potest, nec noxam adferre ægrotanti.

Pulsatilla nigricans videtur magnam virtutem, morbos oculorum antiquos curandi, possidere.

Ejus usu multi visum, jam a pluribus annis deperditum, recuperarunt; aliis levamen adulit, morbum vero integre vincere non potuit; pauci erant, in quibus nullam prorsus mutationem produxit; nemini autem nocuit.

Pluribus quidem experimentis rem ad maiorem perfectionis gradum deducere potuisse, sed appropinquat tempus vernale, quo illico hæc planta sese extollit, & floret; hinc credidi, congruum esse & utile ejus virtutem nunc manifestare & annunciare medicis, ut debito tempore copiam colligere, & in usus medicinæ parare possint, & egentibus recta methodo exhibere.

A 3

Ad

*Ad mea experimenta sua contulerunt,
Ferdinandus Leber Chirurgiæ professor; Do-
minus Faucken physicus ad Sanctum Mar-
cum, & Dominus Rechberger chirurgus in
eodem magno Nosocomio ad Sanctum Mar-
cum.*



D E